





1567

1893

o. XVII, 291.



DE OPPIDO  
SVERINO

QVOD SEDES  
EST AVLAE IL-  
LVSTRISSIMORVM  
PRINCIPVM ME-  
*gapolensium.*

ORATIO  
HABITA ROSTOCHII  
A  
SIMONE PAVLI  
SVERINENSE.

*Ex officina Ludouici Ditiij.*

M. D. L V.



DE OPPIDQ  
SVETINIO  
GROD SEDES  
EST AVIARH  
IN...  
ORATIO  
SABITA GOSTOCHI  
SIMONIS PAVLI  
STREINER  
Königsberg  
1774



HONESTISSI-  
MO VIRO, PRVDEN-  
tia & Virtute præstanti D. IOHANNI  
PAVLO, Senatori Suerinensi, suo  
PATRI carissimo. SIMON  
PAVLI, S. D.

**S** Aminondas ille Thebanus,  
maximis rebus pro patriæ salu-  
te ac libertate foeliciter gestis, dixisse fer-  
tur, Se hunc præcipuum uitæ & actionum  
suarum fructum capere, quod parentes  
adhuc uiuos, & suarum uirtutum ac glo-  
riæ spectatores haberet. Existimo autem  
omnes bonas mentes, similes flammæ pie-  
tatis, reuerentiæ & amoris erga parentes  
in intimo cordis thalamo circumferre.

A 2 Ego



Ego certe post Deum, cui uni præ-  
cipue Grata dicere & Grata facere cu-  
pio, tibi carissime pater, omnia mea stu-  
dia, consilia, et actiones probare studebo.  
Ideo ut publicum aliquod testimoni-  
um meæ erga te obseruantiaē haberes,  
hanc tibi Orationem misi, in qua patriæ  
nostræ SVERINI laudes, pro ingenij mei  
tenuitate, conatus sum illustrare. Deum  
oro, ut te, & carissimam matrem me-  
am, & Patriam communem om-  
nium nostrum matrem  
perpetuo seruet in  
columem  
& florentem. Be-  
ne & foeliciter Vale.

ROSTOCHII, ANNO 1555.

Oratio



# ORATIO

## DE LAVDIBVS

### SVERINI.

**D**Ars pietatis & gratitudinis Deo debitæ est laudes Urbium, quæ Ecclesiæ Dei & literarum studijs tranquilla hospitia præbent, non solum honorifica opinione, & tacitis animorum iudicijs, uerumetiam honesta prædicatione, & literarum monumentis celebrare. Vult enim Deus lucere ac conspici inter homines testimonia suæ uoluntatis, quam in doctrina Ecclesiæ patefecit: uult intelligi et ornari uirtutum ac honestarum actionum & artium decora: uult laude & ignominia, tanquam conspicuis & accuratis limitibus, recta & cum uirtute coniuncta ab inhonestis & turpibus discerni: ut ipsum Deum, iustum, uirtutis amantem & cum in hac, tum in futura uita, scelerum uindicem fore, ac pios & iustos æterna gloria ornaturum esse agnoscamus: ideoque ipsum uicissim omni gloria & prædicatione

A 3 dica



10  
dicatione efferamus, & toto pectore & illu-  
striori oratione laudemus. Deinde ut in  
uita communi, bona fama & gloria, non  
solum discernat honestos & inhonestos,  
et recte agentes ornet, sed etiam alijs exem-  
plo sit, ut ipsi quoque ad uirtutem & recte  
facta inuidentur.

Quod si hominum singulorum uir-  
tutes & decora uult Deus aspici & propa-  
gari, multo magis Vrbes claræ & Respu-  
blicæ celebrandæ sunt, quæ & uitæ nobis  
initium dederunt, & domicilia sunt Eccle-  
siæ, quæ uerior patria est, quam id solum  
quod nascentes excepit, ut grauissime Ba-  
silius ait, Vnam esse etiam in his terris om-  
nium piorum patriam laudatissimam, uis-  
delicet Ecclesiam Dei, cuius ciuem esse  
præcipua laus est.

Etsi autem plurimæ sunt Vrbes in  
hoc Baltici maris litore, & tota Saxonia,  
quæ eximia pietate & liberalitate Ecclesias  
& Scholas fouent, idèoque merito ampli-  
ssimis laudibus euehi & prædicari ab om-  
nibus debent: tamen cum sit pius & patriæ  
facta referre labor, de mea patria dicere in-  
stitui



stitui. Ardet enim in omnium bonorum  
pectoribus mirificum incendium amoris  
erga patriam, cui se totos dare, in qua, ut  
Ciceronis uerbis utar, omnia sua ponere,  
& quasi consecrare, se debere, fatentur.  
Cum Alexander Magnus Urbem Lamp-  
facum, patriam Anaximenes præceptoris  
sui diruere & solo æquare constituisset,  
iamq; eam obsidione cingere cepisset: A-  
naximenes, etsi sciebat à Rege iracundia  
inflammato sibi quoque pro patriæ salute  
deprecanti, uitæ periculum imminere: ta-  
men patriæ incolumitatem suæ anteterens  
extra urbem Regi obuiam processit. Quo  
conspecto, Rex suspitione assequens qua  
de causa ueniret, iurauit se ea, quæ petita-  
rus esset, non facturum esse. Peto igitur  
inquit ANAximenes, ut meam Patriam  
Lampfacum euertas, & solo æques. Hac  
pia & ingeniosa urbanitate orationis in  
summo periculo suam patriam incolumē  
& florentē Anaximenes conseruauit. Nec  
dubito omnium uestrum similem erga pa-  
triam amorem & pietatem esse. Itaque  
spero uos hanc meam orationem eo æquio

A 4 ribus



ribus animis audituros esse, quod meæ er-  
ga patriam pietatis & gratitudinis signifi-  
cationem aliquam hac tenui declamatione  
cupio declarare.

Dicam autem, ut in Urbium lauda-  
tionibus usitatum est, ordine de Antiqui-  
tate, de Situ, de AEdificiis, de Politia, de  
Schola, & de Ecclesia urbis SVERINI,  
quæ inclyta sedes est Aulæ illustrissimorum  
Principum Megapolensium. Ac à uobis  
amanter peto, ut, si laudatio instituta uide-  
bitur ieiunior & exilior esse, non patriam  
meam existimetis plura dicendi ornamen-  
ta non suppeditasse, sed meam infantiam  
& orationis inopiam laudum amplitudi-  
ni non respondisse sentiatis.

Primum autem de Origine & Antis-  
quitate urbis celebratæ in historiis harum  
gentium ante annos quadringentos, di-  
cendum est. Etsi enim non petitur integra  
laus ciuitatū ex uetustate, tamen aliquod  
uirtutis, sapientiæ gubernatorum, honestæ  
disciplinæ, amænitate & ubertatis loci te-  
stimoniū est diuturna urbium in eodē loco  
& in mediocri uigore & flore stabilitas.

Floruit



Floruit autem in his regionibus Suerinum diu ante conditas urbes, Lubecam, Rostochium, VVismariam, & Sundium quæ nunc splendore ædificiorum, amplitudine et potentia, in hac ditioe et uicinis tantum inter cæteras urbes extant, quantum lenta solent inter uiburna cupressi.

Lubeca primum condita est anno Christi 1140. ab Adolpho comite Holsatiæ

Rostochium, ut scriptores Historiæ Saxonice & Vandalice tradunt, à Pribislao & Nicoloto patruelibus, dominis Megapolensibus, urbis modo munitum est circa annum à nato Christo 1160.

Sundium à Rege Daniæ VValdemaro, Rugiam eo tempore tenente ædificatum est in opposito litore, Anno Christi 1209.

VVismaria primum cepta est extrui à Visimaro Obotritorum Rege, deinde circa annum Christi 1238. à Guncelino iunioris Suerini comite aucta & amplificata est ex ruinis amplæ & uetustæ urbis Megapoleos, quæ regni Vandalorum in hac regione Metropolis antea fuerat.

A s Diu



Diurante hec tempora Suerinum una  
fuit ex claris Arcibus Regum Vandalico-  
rum, donec eam Henricus Leo Dux Sax-  
oniæ & Bauariæ occupauit, qui communi  
totius orbis Christiani nomine, uicinam  
gentem Henetam, quæ cultus Idolorum à  
maioribus acceptos pertinaciter adhuc re-  
tinebat, bello ad amplectendam Christi  
doctrinam coegit. Cumque non posset  
una expeditione totum bellum conficere,  
in occupatis Henetorum Arcibus præsidia  
disposuit, ac Suerino Guncelinū comitem  
præfecit, cuius posterī Suerinensem urbē  
& regionem tenuerunt, usq; ad Ottonem,  
à quo Albertus Dux Megapolensis, qui  
unicam Ottonis filiam coniugem habebat  
totam eam ditionem recepit, circa annum  
à nato Christo 1350. quo duo fratres domi-  
ni Megapolensium Iohannes & Albertus  
Duces primum à Carolo Quarto Impera-  
tore creati sunt.

Debet autem nostra Patria Henrico  
Leoni hoc summum Beneficium, quod  
doctrinam Euangeliij de Christo primum  
accepit & amplexa est, deinde etiam cum  
luce



luce Euangelij literarum lumen accepit,  
quibus res gestæ nostrorum maiorum &  
Principum illustratæ sunt. Nam ante an-  
nos Quadringentos in tota hac ditione  
una cum impietate gentili etiam tetra bar-  
baries regnavit, qua superioris ætatis hi-  
storia ferè perpetua obliuioe deleta est.  
Itaq; & de prima origine SVeriní nihil  
apud scriptores inuenio, quod tamen ob  
commoditatem loci, agrorū fœcunditatē,  
& amœnitatem situs, consentaneum est  
longo tempore habitatum esse.

Vt autem exteri quoq; cogitare pos-  
sint, in qua Mundi parte Suerinum situm  
sit, sciant eius longitudinem seu interuallū  
à Meridiano transeunte per Insulas fortu-  
natas, esse grad: 29. minu: 13. Latitudinem  
uero seu distantiam ab AEquinoctiali esse  
grad 54 ferè.

Hæc spacia mediocriter eruditis &  
certum huius urbis situm, & interualla ab  
ijs locis, in quibus ipsi uitam degunt, in-  
dicant.

Figura Urbis fere quadrata est, sed  
latera, quæ continent angulū, qui ad Bo-  
ream



ream & Cæciam spectat, aliquanto longie  
us excurrentia, ferè Scalenon figuram effi-  
ciunt.

Vrbs ipsa τετραπολις in quatuor  
partes distincta est, quarum singulæ pro-  
prias adpellationes sortitæ sunt. Prima  
SVERInum, Secunda Neapolis dicitur,  
Tertia à carecto, Quarta à palude nomen  
habet.

Tali quodam modo distributam fuisse  
in Palæstina urbem Regiam Hebron  
accepimus, quæ primis illis & summis Ec-  
clesiæ luminibus Abrahamæ, Isaac, Iacob &  
hospitium aliquandiu ac sepulturæ locum  
præbuit: & propter hanc distributionem  
partiū, et quia uetustas solebat in ciuitatib:  
quatuor gradus, uidel: Senatorū & Sacer-  
dotum, Militum, Opificum & Agricolar-  
um constituere, Cariatharbe. h. τετραπο-  
λις adpellata est. Nec libet mihi aliarum  
urbium collatione, quod ad hanc, meæ pa-  
triæ in quatuor membra disiunctæ, figurā  
attinet, uti, Etsi enim scio Babylonis quo-  
que & Ninives quatuor ciuitates adpella-  
tionibus distinctas ab ipso Mose recenferi  
tamen



tamen cum alijs in rebus & præcipue potentia & amplitudine ualde dissimiles sine iusto altius meæ patriæ laudes efferre uidear, hanc comparationē prudens omitto.

Sita est autem urbs Suerinum amœnissimo loco, uelut in Chersoneso, undiq; alluentibus aquis lacus, cuius ripæ hortis, fertilissimis agris, & Syluis, uestitæ ac cinctæ sunt. Sicut urbs Capernaum, quæ ab amœnitate nomē habet, & in qua Christus ciuis fuit, in ripa lacus Tiberiadis, quem Mare Galileæ scriptores uitæ & doctrinæ Christi nominant, collocata fuit.

Figura lacus  $\mu\eta\nu\omicron\epsilon\iota\delta\eta\sigma$ , uel potius trianguli forma est, in cuius uertice ferè, Arx & Oppidum eminet.

Lacus ipse non solum fœcunditate & copia piscium, sed etiam longitudine & latitudine propemodum similis est lacui seu Mari Tiberiadis, quod Euangelistæ celebrant, in cuius ripa claræ urbes extiterunt Capernaū, Bethsaïda, Magdalus Tiberias Tarichea, Iulias, Chorazin, quæ Christo et Apostolis piscatorib; hospitium præbuerūt.

Plinius



Plinius refert lacum Tiberiadis lon-  
gitudine per 16000. passuum produci ab  
urbe Capernaum usq; ad uicum Macha-  
naim. Tantum etiam interuallum est à  
uico Fichela seu Vicelia, ubi Suerinensis  
Lacus initium est, usq; ad pontem, qui ri-  
pas Stærae fluminis, quod ex Lacu oritur,  
iungit.

Vicus Fichela à Mari Balthico tantū  
5000. pass; distat. Ideo superioribus  
annis perfossio Isthmi, ut ita nominem,  
tentata est, qua nauibus ex Mari Balthico  
in Lacum SVERInensem uia patefieret.  
Sed intermissus labor est fortassis eadem  
de causa, qua adducti Cnidij in bello cum  
Harpago Cyri duce, perfossuri Isthmum  
ad Halicarnassum, accepto oraculo

Ἰδμοῦδ' ἢ μὴ πουργοῦτε, μηδ' ὀρυσθε  
Ζεὺς γὰρ κ' ἐθικεν ἡσον, ἐκ' ἐβουλεῖσθε  
inchoatam fossionem reliquerunt.

Stæra flumen ex Lacu Suerinensi ma-  
nans, oppidum huius ditionis Neapolin  
præterlabitur, ibiq; in Eldam influens,  
prope Domitium in Albim se exonerat.

Gignit autem Lacus Suerinensis  
magna



magna ubertate & abundantia uiginti sex genera piscium diuersis formis & adpellationibus, quas etsi non omnes possum latinis nominibus exponere, tamen certum est hos pisces, quos ipse uidi, magna copia istic capi, Lupos, Amias, Cyprinos, Percas Melanuros, Prasinos, ut nunc uocant, Murenas, Sic enim nominant lingua nobis uernacula pisces Haleci similes, sed aliquanto minores, argenteis squamis, carne dura & friabili, Item Anguillas, Cancros, Fundulos, Erythrinos, Tincas, &c. Audiui interdum Esoces etiam, Mustelas & Siluros in eo lacu inuentos esse. Sed eorum Piscium, quos prius nominauit, tanta copia est, tamque uili precio ueneunt, ut non dubitent Deum, sicut alijs locis alia munera ad uitam necessaria attribuit, ita singulari beneficio meos conciuēs hoc Lacu foecundissimo donasse.

Iohannes Euangelista narrat in Lacu Tiberiadis a Petro, Thoma, Nathanaele, & Filijs Zebedæi Piscatoribus uno iactu in rete conclusos esse centum quinquaginta tres pisces magnos.

At



At ex hoc Suèrinensi lacu, biduo ante sacrum Nuptiale, quod foelicis memoriae Henricus Dux Megapolensis, cum illustrissima Principe Helena Electoris Palatini Filia celebrauit, quinq; millia Prasinorum, ut nominant, simul capta sunt. Quam Piscium nobilium ubertatem mirificam, Dux Henricus ipse solebat narrare, se uelut testimonium diuine benedictionis secuturę, faustissimi ominis loco accepisse.

Nihil de Venatione dicam, quę ut experitioribus intelligo, in aliquot Nemoribus meę Patrię uicinis est amoenissima copiosa ac ampla. Pastum etiam animantibus large & copiose ibidem natura comparauit.

In Agris quoq; solum non exile, non macrum, sed adeo ferax & opimum est, ut etiamsi non ex uno modio centeni reddantur, sicut in agro Isaaci prope Geraram Domino benedicente contigit, tamen mediocribus annis denos, saepe etiam duodecos, cum foenore satis grandi referat.

Est et situs patrię meę eam ob causam commodior, quod uicina est, & uelut Corona



rona cingitur amplissimis & opulentis urbibus, quibus & Ecclesiae Dei societate, & commercijs deuincta est, & cum non uni loco detincta Deus pertinentia ad communem uitam honeste sustinendam, omnes exoticæ merces facile & sine magna molestia parari possunt.

ii. A Luneburga, ubi Salinae sunt in tota Saxonia celeberrimæ, fere tanto spacio abest, quanto Capernaum, cuius antea mentionem fecimus, ab urbe Ierosolymorum disiuncta fuit.

3. A Lubeca, quæ omnium Saxoniarum urbium caput atq; corona esse perhibetur, eodem interuallo distat, quo Ierosolymorum urbs à Samaria, quæ Regni Israel Metropolis fuit.

4. Inter Vuismariam et Suerinum idem spaciū interiectum est, quod fuit inter Canam Galileæ & Capernaum, unde Christus ad nuptias expatiatum est.

10. Suerini & Rostochij interuallū idem est, quod Canæ Minoris & Sareptæ, ubi uidua Eliam Prophetam hospitio excepit.

B Sed



Sed hac parte orationis de Situ Sue-  
rini relicta, uenio ad cætera & ueriora ci-  
uitatum ornamenta, uidelicet disciplinam  
cuium, formam gubernationis, studia li-  
terarum, & Ecclesiam Dei, propter quam  
præcipuè ciuitates à Deo institutæ sunt &  
conseruantur. Prius tamen de Aedificijs  
aliquid dicendum est. Etsi enim ciuitas  
non est congeries lapidum, aggerum, uel  
ædium coagmentatio & splendor, Sed  
cœtus hominum certis & honestis legibus  
confociatorum, in quo per certos Magi-  
stratus iuxta leges retinetur disciplina &  
pax, propter hunc finem, ut in Ecclesia &  
Schola homines de Deo & alijs bonis re-  
bus doceri, & Deo pijs studijs & honestis  
uitæ officijs seruire possint: tamen cum  
Ecclesiæ, Reip. & priuatis opus sit medio-  
ribus hospitijs, domicilijs, & munitio-  
bus, de his quoq; in urbium laudationi-  
bus dici solet.

Sunt autem in hac urbe, ut in loco Aulae  
usitato, plæræq; domus commode & ele-  
ganter ædificatæ. Ac inter cœtera ædifi-  
cia eminet in hac urbe Templum Cathedra-  
drale,



drale ut nominant, magnifice & splendide  
extructū ab Henrico Leone Duce Saxonie  
& Bauarie, qui primus sedem gubernatio-  
nis uicinarum Ecclesiarum in hanc urbem  
collocauit. Quod opus multo ipsi ad om-  
nem posteritatem gloriosius est, quam ea  
ædificia, quæ nunc passim curiosi antiqui-  
tatū sectatores admirantur, Amphitheatra  
quorum ruinae adhuc Nemausi, Veronæ  
& Romæ magna cupiditate uisuntur, aut  
Colossea, Thermæ, Arcus triumphales,  
Obelisci, Statuæ, Pyramides, quarum im-  
mensæ moles nihil aliud, quam stultæ  
ostentationes opum à Regibus Aegyptiis  
profusarum fuerunt. At hoc templum  
ideo à pio & sapienti Principe Henrico  
Leone conditū fuit, ut certa Sedes esset pī  
collegij sacerdotum, qui pietate, doctrina,  
uirtute & prudentia præstantes, non solū  
huius urbis Ecclesiam, sed etiam omnes  
uicinas, uera & salutari doctrina Euange-  
lij ad ueram agnitionem Dei & uitam  
æternam erudirent, & corruptelas ueræ  
doctrinæ & uerorum cultuum refutarent,  
& regerent iudicia Ecclesiastica, quæ ad

B. 2. cono



conseruationem ueræ doctrinæ ad dijudi-  
cationem dogmatum, ad leges castitatis &  
coniugiorum tuendas, ad puniendas blas-  
phemias & libidinum confusiones, & ad  
defensionem ministrorum necessaria sunt.

Vt igitur templum Ierosolymis à Sa-  
lomone ædificatum, sedes fuit collegij sa-  
cerdotum, cui gubernatio Ecclesiæ in toto  
populo Dei commendata erat: Sic Sueri-  
nense templum iam annos quadringentos  
in hac ditioe & parte Pomeraniæ, Eccle-  
siarum administrationem tenuit. Hoc de-  
tus prædicatione dignius esse iudico, quã  
ipsius ædificij molem, templi amplitudi-  
nem, fornicum sublimitatem, columnarũ,  
quæ cameras sustinent, numerum & alti-  
tudinem, quæ omnia tamen in hoc templo  
eximia & magnifica sunt.

Arx uero Illustrissimorum Princi-  
pum Megapolensium, non modo ampla  
& munita, sed etiam eleganter & splendi-  
de ædificata & ornata est.

Tota insistit insulæ, totamq; insulam  
ædificijs, aggeribus & propugnaculis oc-  
cupat: & continenti, longo ponte iungi-  
tur.



tur. Itaq; & natura loci & operibus contra impressionem hostilem firmata est, & singulari situs amœnitate excellit.

Ipsa uero ædificia regali splendida luxu, ut de arce Chartaginensi Virgilius inquit, domuum, aularum, conclauium, cubiculorum, ordine, elegantia, numero, commoditate, amplitudine, arte laboratis auleis, ostroq; superbo, uere Regiam magnificentiã æquant. Etsi autem hic ædificiorum splendor magnum & illustre decus est, tamen plus dignitatis Arci meæ patriæ iudico inde accedere, quod ab optimis Principibus & Ecclesiæ Dei nutritiis incolitur: Nam ut est apud Ciceronem, nō domo dominus, sed domino domus honestatur.

Et in uniuersum non est ex ædificiorum splendore integra laus urbium petenda, sed multo maiora decora sunt honesta ciuium disciplina, leges, iudicia, bene constitutæ Scholæ, Ecclesiæ, & ministerium Euangelij.

Est autem in mea patriâ Dei beneficium forma gubernationis politicæ & ciuis



um disciplina laudabilis. Magistratus certi iuxta honestas & cum diuinis præceptis congruentes leges, regunt populi mores, cognoscunt controuersias, tuentur & prouehunt bonos, coercent ac puniunt contumaces & alios sceleratos, blasphemos, contaminatos adulterijs uel incestis libidinibus. Minus etiam contumaciæ & scelerum est, quia mores ciuium, & uoce uerbi diuini in ministerio Ecclesiæ sonantis, & adsuefactione domestica, & exemplis Magistratum, & poenarum publicarum spectaculis, ad pietatem, iusticiam, & modestiam informantur. Et quia propter Aulæ sedem multi eo peregrini ueniunt, maior etiam ciuium comitas, elegantia, & humanitas est, quam alibi.

In familijs quoq; domestica disciplina pueri ad omnia pietatis, iustitiæ, & humanitatis officia adsuefiunt. Quotidie coguntur pueri, mane, & ad mensam, & cum se in lectum collocaturi sunt, recitare precationem, & pias sententijs: adhibentur ad discendas literas & legendos libros sacros: mittuntur in templum ad discenda



dam Catechesin, ad conciones Euangelij  
& Ceremonias sacras: admonentur singu-  
las familias debere esse domicilia et templa  
Dei, in quibus Deus habitare & regere  
uelit, si diligenter discant cœlestem doctri-  
nam, & Deum quotidie inuocent fiducia  
Christi, & mores pie & honeste regant.

Ingenia puerorum non obtusa, non  
horrida, sed disciplinæ capacia & ad uirtu-  
tem & doctrinam idonea sunt. Et prestan-  
tia ingeniorum proximis annis clarius lu-  
cere & conspici cepit, postquam ab excel-  
lenti formandæ iuuentutis magistro Ma-  
thia Marco Dabercusio erudiri & excoli  
consueuerunt.

*Vt enim nulla ex speculis rudib' resplen-*  
*det imago*

*Ni sint artificis rite polita manu*  
*Ingenij sic usus erit non ullus acuti*

*Doctrinæ si non erudiatur ope.*

*Postquam autem in Scholæ Sueri-*  
*ensis mentionem incidi, primum hortor*

B 4 UOS



uos auditores, non modo ut de hoc illustri  
ornamento meae patriae gratulemini, quae  
sicut apud Thucydidem Athenae *ελευθεριου  
δου παιδευσις ειναι* dicuntur, deinceps  
probatae institutionis adolescentum in to-  
ta ditone Megapolensi & uicinis, com-  
munis quasi officina & exemplum erit: sed  
etiam ut Deo gratias agatis, quod Princi-  
pes sapientia, pietate, & doctrina prestan-  
tes, & patriae patres nobis dedit, qui cum  
intelligent Scholarum constitutionem ad  
Rempub. pertinere, & bene constitutas  
praecipuum decus & ornamentum esse ci-  
uitatum, non modo hanc Rostochiensem  
Academiam, quae sub eorum abauo Io-  
hane, eiusque fratruele Alberto, filio Alber-  
ti Regis Sueciae ante annos 136. instituta  
fuit, singulari clementia & liberalitate fo-  
uent & sustentant, sed etiam in alijs suae  
ditionis urbibus, in primisque Suerini, illu-  
stres Scholas excitant, retinent, & tuentur.  
Perspiciunt enim sapientissimi Principes  
eam ob causam se alijs hominibus a Deo  
praefectos esse, ut gloriam Dei ornent, ut  
ad ueram Dei notitiam & inuocationem  
subdi



subditos erudiri curent, ut doctrinam ueræ Religionis in Prophetarum & Apostolorum scriptis, à Deo patefactam, ut iustitiam, disciplinam, leges, iudicia, pacem conseruent.

Hæc tanta bona nec adipisci nec tueri & retinere possunt Principes & subditi, sine cognitione literarum & magna uarietate artium, quæ ad docendam cœlestem doctrinam, & ad Ecclesiæ & Reipub: gubernationem necessario flagitantur. Imo Scholæ seminaria sunt Ecclesiæ & Reipublicæ, ex quibus personæ ad ministerium Euangelij obeundum & controuersias religionum dijudicandas, ad consilia Principum, ad moderandam Rempub, ad honestas leges tuendas, ad regenda iudicia, & ad reliqua uitæ officia gubernanda sumuntur. Cum autem ad hæc tanta munera homines instructi doctrina earum artium, quæ regendæ Ecclesiæ & Reip: neruos continent, adhiberi soleant, profecto necesse est statim ab ineunte ætate tenera puerorum ingenia, singulari prudentia, fide & assiduitate, ad superiores artes uitæ

B s guber



gubernatrices præparari. Vt enim in ædificiis plurimum refert firma & solida fundamenta poni, quibus reliquæ extructiones tuto possint inniti: sic in omni uita priuatim & publice regenda maxime interest, qualis primæ ætatis institutio fuerit. Toto igitur animo meæ patriæ de hac felicitate gratulor quod et Principes Ecclesie ac Scholarum nutritios: & gubernatorem Scholæ, singularem informandæ iuuentutis artificem nacta est Virum doctissimum Mathiam Marcum Dabercusiũ, cuius eruditionem, & dexteritatem in iudicandis puerorum ingenijs, et prudentiam, fidem, diligentiam, & assiduitatem in prima ætate regenda & instituenda, declarant multi præstantes uiri, quorum tenera ingenia i ipse excoluit, qui nunc partim Rempubicam & consilia Principum, partim Ecclesias, partim cœtus Scholasticos gubernant. Probat etiam Mathiæ diligentiam illustrissimus Princeps, qui non modo magnis sumptibus Scholam alit & fouet, sed etiam ipse sua præsentia & auctoritate Scholastica examina ornat, & præ



præmijs liberalibus diligentiam studiofo-  
rum exuscitat & auget. Hoc sapientissimi  
& optimi Principis iudicio commendari  
amplissima laus est.

Summum uero bonum in ciuili ho-  
minum societate est uera agnitio Dei, &  
domini nostri Iesu Christi. Ideo enim con-  
didit Deus homines, ut ipsum agnoscant  
& celebrent: Ideo uult homines, non ut  
feras, uagari singulos, sed multos in ciui-  
tatibus una uiuere: Ideo ordinauit politias  
& societatem politicam mirandis uinculis  
generationis, educationis, contractuum,  
iudiciorum, legum colligauit: ut in coetu et  
frequentia alij alios de Deo doceant, ut  
doctrina Euangelij de uera agnitione Dei  
& cultibus Deo præstandis latius spargi,  
& pluribus innotescere possit, ut alij alijs  
exempla uirtutum, & testimonia de Deo  
ostendant, deniq; ut communi multorum  
uoce Deus inuocetur & celebretur.

Lucet autem Dei beneficio in Eccle-  
sia meæ patriæ pura lux doctrine Euan-  
gelij, non obscurata ullis tenebris errorum  
quos uel impij Pontifices, uel alij sparfe-  
runt



runt. Quę quidem in tota hac ditione, omniū primo fulgere ac illustrari cepit in æde D. Georgio sacra, ante portā, cui à mola nomen est, sita: unde Dei beneficio postea in totam hanc regionem & uicinas sparsa & propagata est. Nunc regunt Ecclesiam uoce Euangelij sine dissidijs, duo Pastores uiri pñ, eloquentes, & docti. Populus magna frequentia ad conciones & publicam precationem in templum conuenit, & modeste ac attente docentes audit. Principes ipsi publicis congressibus Ecclesię inter sunt, & suo exemplo subditos ad reuerentiam erga ministerium Euangelij, & ad omnia pietatis officia inuitant.

Sedes etiam inspectionis et gubernationis Ecclesiarum in tota uicinia fuit hæc urbs, iam annis fere 400. Primum enim Albertus Archiepiscopus Hamburgensis circa annum Christi 1060, collocauit in Megapoli urbe tum ampla & celebri Episcopum Iohannem, qui à uicinis Vandalis nondum ad Christi agnitionem adductis, crudeliter propter confessionem doctrinæ Christi trucidatus est. Huic anno quarto &



& octuagesimo post Iohannis Martyrium  
successit Eberhardus. Huic substitutus est  
Benno, qui primus Episcopatum in hanc  
urbē Suerinū intulit, anno post natū Chri-  
stum 1195. Aceodem anno Henricus Leo  
Dux Saxonie et Bauarie, qui templū Ca-  
thédrale Suerini extruxerat, & Episcopatū  
eō transtulerat, diem suum obiit: Princeps  
pius & Ecclesie nutritius, cui etiam in ui-  
ta æterna coram ardentibus gratias agemus,  
quod sua pietate & fortitudine primus in  
hanc regionem ueram Euangelij doctrinā  
propagauit, & maiores nostros ad ueram  
agnitionem Dei & æternam salutem ad-  
duxit.

Oro autem Deum, ut hæc ornamen-  
ta meæ patriæ, uidelicet uocem Euangelij,  
bene constitutam Ecclesiam, Scholam, stu-  
dia literarum, honestam disciplinam ciui-  
um conseruet. Verum est enim, quod in-  
quit sapientissimus gubernator Salomon.  
Nisi Dominus custodierit ciuitatē, frustra  
uigilat qui custodit eam. Deinde meos  
conciues, eos præsertim, qui in doctrinæ  
studijs magna cū laude uersantur, hortor,  
ut



ut patriam, à qua uitam, uictum, honestam  
disciplinam, ueram agnitionem Dei &  
doctrinam intacta acceperunt, non modo  
ament & cæteris honestis officijs iuuent,  
sed etiam, quia eruditione & facundia mi-  
hi antecellunt, hoc genere laudationis splen-  
didius ornent.

Clarissimum uirum D. Andream Mylium  
cuius tanta est hac nostra ætate eleganter  
dicendi ac scribendi facultas, ut paucos  
cum eo disertorum conferre, antepondere  
debeam neminem, reuerenter oro, ut pa-  
triam quoque meam suæ eloquentiæ  
monumentis ornet, & patro-  
cinium literarum semel  
apud Illustrissi-  
mum  
Principem sus-  
ceptum, constanter  
tueatur. DIXL



9  
193469

ULB Halle 3  
004 396 014



Sp.

710









DE OPPIDO  
SVERINO  
QVOD SEDES  
EST AVLAE IL  
LVSTRISSIMORVM  
PRINCIPVM ME  
*gapolensium.*  
ORATIO  
HABITA ROSTOCHII  
A  
SIMONE PAULI  
SVERINENSE.  
*Ex officina Ludouici Ditiij.*  
M. D. L V.

